BVRCARDI GOTTHELFII STRUVII

JCti CONSVMATISSIMI

SCHEDIASMA

DE

DOMINIO DIRECTO IN ALIENO TERRITORIO,

CVMPRIMIS

SERENISSIMORVM MARGGRAVIORVM

BRANDENBVRGENSIVM TANQVAM BVRGGRAVIORVM NORIBERGENSIVM IN AVSTRIA.

JENÆ apud FRANCISCVM BORTOLETTI 1743.

CVM DEO!

PARS PRIMA.

DE DOMINIO DIRECTO IN ALIENO TERRITORIO IN GENERE.

§. I

MEditanti de congruo ſpecimine ante hilarem ab hac celeberrima Salana diſceſſum, edendo, multa equidem & Eccleſiaſtici Iuris & Feudalis themata erant obuia, minus adhuc rite excuſſa, nec pro dignitate exculta; omnibus tamen, praeſens de dominio directo in alieno territorio, in primis SERENISSIMORVM MARGGRAVIORVM BRANDENBVRGENSIVM, TANQVAM BVRGGRAVIORVM NORIBERGENSIVM in Auſtria, praetuli argumentum, tam ob dulciſſimam in patriam recordationem, hominibus quaſi

Cauſae ad laborem huncce arripiendum impulſiuae.

 innatam,

innatam, quam quod eram haud immemor Q. MVCII in *L. 2. §. 43. ff. de O. I.* effati, qui, *turpe eſt*, inquit, *patritio & nobili & cauſas oranti. ius in quo verſaretur, ignorare.* Quam materiam, licet humeris plane imparem, eo minus declinare poteram, quum me ſubſidiis, talem ad laborem perquam neceſſariis, Archivorum puta, ſatis abunde inſtructum cernerem, ac Illuſtris DOMINI PRAESIDIS, Patroni, ac Praeceptoris ſumme colendi, vti rariſſimus, ſic numeroſiſſimus librorum adparatus ad hancce operam difficultatibus haud deſtitutam ſummopere excitaret animum. FAXIT DEVS O. M. FELICITER.

§. II.

Dominium directum in alieno territorio a poſteriori probatur.

Noſtro in rubrica indicato exemplo dominii directi Marggrauiorum Brandenburgenſium in territorio Auſtriaco, plura adiici poſſe, materiam plurimum illuſtrantia, eiusque veritatem magis ſtabilientia, vix quemquam, niſi qui ſtatus Germanici & conſuetudinum Feudalium prorſus ſit hoſpes, fugiet. Cunctis vero Statibus Imperii R. G. hoc iure gaudentibus palmam praeripere Regem Bohemiae, animaduertere licet ex SPRENGERI catalogo vaſallorum, pars Principem, pars Comitum, nobiliumque ſumma dignitate coruſcantium, ab ipſo, eiusdemque regno dependentium, quem in compendio exhibet *in Inſtitut. Iur. Publ. Lib III. c. IV. p. m. 388.* vbi ſequendi ordine, „ Electorem Moguntiae, Saxo-
„ nem, Brandenburgicum, Palatinum, Archi-Duces
„ Auſtriae, Duces Burgundiae, Archi-Epiſcopum Sa-

„ lisbur-

liſburgenſem, Epiſcopum Bambergenſem, Herbipo-" lenſem, Eichſtedanum, Auguſtanum, Conſtan-" tienſem, Duces Bauariae, Saxoniae, Würtenber-" genſem, Comites Hennebergicos, Burggrauios No-" ribergenſes, Comites Hanouiae, Schvvarzburgi-" cos, Wertheimenſes, Stolbergenſes, Limburgen" ſes, Ruthenos, Schœnburgenſes, Wolfſteinenſes," Equites St. Georgii in Sueuia, nec non ciuitates" Norimbergam, & Ratisbonam &c.,, recenſet; Sic etiam in Excellentiſſimi Anteceſſoris Pragenſis, NEVMANNI de PVCHHOLZ *diſſertationibus Iur. Publ. & Feud.* iunctim editis, praeſertim in *diſſert. V.* §. *X. XI. & ſeqq. diſſert. VI.* § *IV. diſſ. VII.* §. *II. III. & ſeqq.* veſtigia horum feudorum paſſim occurrunt. Bohemiae regis lateri adiungi merentur, Elector Brandenburgicus, qui pagum Grosburg in Sileſia & Grosbadegaſt in Anhaltinis terris in feudum confert, vti ex STRYKII *Exam. Iur. Feud.* SCHROETERVS *in diſſ. inaug. de dominio directo in alieno territorio.* §. *I.* ſub praeſidio Excellentiſſimi GRIBNERI ventilata, ſedulo annotauit; Elector Palatinus, cuius ingentem numerum principum ac comitum, qui eius curiam feudalem recognoſcunt, videſis in perſonati FRIDERICH LEVTOLES *von* FRANCKENBERG *Europäiſchen Herold P. I. p. 300;* Marggravius Brandenburgico Culmbacenſis, cui, vti perſpectum nobis eſt, & experientia quotidiana edocet, permulti fidelitatis vinculo, ſicut in Auſtria, ita & in Palatinatu Superiori ſubſunt; Marggravius Brandenburgico-Onoldinus, quem vaſalli in territorio Reipublicae Nori-

bergenſi ſubiecto, aſſeuerante Excellentiſſimo HILDEBRANDO *in diſſ. de vaſallagio ſubiectionem non inferente p. 32.* quam plurimi Dominum dirigentem agnoſcunt; Dux Luneburgenſis, a quo, referente ICto quondam Erfordino G. H. BRÜCKNERO, in differt. *de particulari territorio ſubinfeudato cap. 2. §. 12. p, 23.* Rex Daniae ciuitatem & terram Budiadigenſem partem Comitatus Oldenburgenſis feudali nexu tenet; Landgrauii Haſſiae, quibus directum dominium variorum feudorum, eorumque celebrium, in Archi Epiſcopatu Colonienſi competit, vti Anonymus, qui THEODORICVS REINCKINGIVS praeſumitur, in deductione; cuius titulus: *Fürſtlicher Ertzbiſchöfflicher Bremiſcher Nachtrab.* anno 1641. edit. *p. 66.* perſpicue teſtatur; Principes Anhaltini, quorum ingens clientum etiam extra territorium numerus recenſetur in I. C. BECKMANNI Profeſſoris quondam Francofurtani meritiſſimi *Hiſtorie des Fürſtenthums Anhalt Part. III. Lib. V. c. I. pag. 481. ſeq.*

§. III.

Continuatio probationis a poſteriori.

Praecipue vero hoc iure extra territorium ſe iactant; & gloriantur Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſae; Prælati, Eccleſiae, monaſteria. Cauſam & originem ſi inquiras, iſtam ex oblationibus allodiorum in feuda, medio in primis aeuo & Interregni Magni tempeſtate, qua coelum terrae miſceri cœpit, qua diffidationes maxime vigebant, qua validiores infirmiores opprimebant; quid? qua depraedationes, homicidia, furta, aliaque horrenda facinora publica

quaſi

quaſi lege atque auctoritate permiſſa, ſancitaque eſſe videbantur, principibus Eccleſiaſticis, & locis ſanctis frequentiſſime factis, vtplurimum deduci poſſe deprehendes. Enimuero turbulenta hac tempeſtate non minus extiterat ſuperſtitioſum ſeculum, quam militare. Pontificum etenim artibus Clericorum poteſtas in tantum faſtigium erat euecta, vt papalia anathematis fulmina legionibus robuſtiſſimis maiorem incuterent horrorem, dum ea, tanquam cœlo profecta, venerabantur. Qui factum, ut poſſeſſores bonorum allodialium, non adeo potentes, nunc ex neceſſitate, metuentes inſultus potentium ad arcendam vim, & tutelam ſibi comparandam, ac ſecuritatem acquirendam, (vid. BVRGERMEISTER *in Theſauro Iuris Equeſtris Part. III. pag. 561.* qui idem de immediata Nobilitate Franconica contendere conatur,) nunc ex ſingulari deuotione, quam dicere amo cœcam ſuperſtitionem ob remedium animae, vti verba, quorum in chartis veteribus crebra fit mentio, ſonant, aliisque cauſis, quas Gieſſenſe quondam lumen HERTIVS in diſſert. *de feudis oblatis* pluribus expoſuit, dominium directum in perſonas Eccleſiaſticas, locosque tranſtulerunt. Ortum inde nomen feudorum oblatorum Iure Longobardico Feudali prorſus incognitorum. Sic, teſte HORNIO, *in Iurisprud. Feudali c. 1. §. 39. p. m. 37.* quam plurima feuda ſunt in Thuringia, & Terris Saxonicis, vtpote Sondershuſa, Keula, Seebach, Cletſtadt, & quaedam Hatzfeldorum terrae, licet Iuri Territorii Saxonico ſubiectae, quae a Sede Moguntina conceduntur, licet

etiam IO. PHILIPPVS, Moguntinus Elector, Iuri dominii directi, quod in diuerſa Territorii Saxonici loca olim exercuit, vel in illud praetenderit, per Receſſum Lipſienſem anno 1665 renuntiauerit. Sic, teſte ſupra laudato BRÜCKNERO, in allegata diſſert. *p.* 24. aliquot diſtrictus in principatu Hennebergico ab Epiſcopo Eichſtetenſi, Epiſcopo Herbipolenſi & Abbate Fuldenſi Duces Saxoniae in feudum accipiunt. Sic, circa med. VX. Sec. principem in Anhalt ab Archi Epiſcopo Magdeburgenſe caſtrum Berneburg cum oppidis & dominio, caſtrum & oppidum Scandersleben cum dominio & omnia alia haereditaria bona in feudum recepiſſe, ex MEIBOMIO *Tom. II. rerum Germanicarum* erudite annotauit ſupra dictus HERTIVS in *diſſert. de feudis oblatis Part. I.* §. *6.* quae pars prima referta quaſi eſt exemplis horum feudorum oblatorum eximiis. Sic & hodie adhuc Principes Anhaltini cum oppido *Burg-Scheidingen*, quod tanquam ſubfeudum aliis confertur ab Epiſcopo Babenbergenſi inueſtiuntur, teſtante ſupra laudato BECKMANNO *in Hiſt. des Fürſtenthums Anhalt. l. c. p. 481.* Sic ab Epiſcopatu Verdenſi, aſſerente auctore *des Fürſtlichen Ertzbiſchöfflichen Bremiſchen Nachtrabs p. 66.* varia feuda in territorio Brunſuico-Luneburgenſi ſita recognoſcuntur. Plura cumulare, merito ſuperſedeo. Agmen claudat Epiſcopatus Vltraiectenſis, a quo tot celebris nominis vaſalli, vtpote Duces Brabandiae, Cliuiae, Geldriae, Comites Hollandiae, Scelandiae, Frislandiae, Zutphaniae aliique permulti olim dependiſſe affirmantur, conf. Per-Illuſtris de LVDVVIG

Erläu-

Erläuterung der güldenen Bulle Part. II. Tit. XIV. §. *1. lit. a. p. 101.* nec non charta vetuſta cui titulus: *de Vaſſis ſiue fide addictis Eccleſiae & Epiſcopo Traiectenſi:* ab Adelboldo ſanctae Traiectenſis Eccleſiae Praeſule, anno Dom. MXXI. IV. Non Ian. euulgata, quam VVILHELMVS HEDA, Praepoſitus quondam Arnhemienſis, typis tradendam, Hiſtoriaeque ſuae *de Epiſcopis Vltraiectinis pag. 111.* inſerendam curauit, in qua non ſolum Brabandiae Ducis, & Comitum Geldriae, Hollandiae, Cliuenſis, aliorumue, verum etiam beneficiorum, quae ab Eccleſia ac Praeſule dicti comites accepere, fit mentio.

§. IV.

Dominium directum ſeu dirigens definitur, & quomodo veteri idiomate ſit nuncupatum, indicatur.

Quibus praemiſſis, e re erit, antequam tractationem ſpecialiorem aggrediar, nonnullas quaeſtiones, argumentum hoc concernentes, examini ſubiicere, ac pro virili expendere. Aſt, actum agere abhorrens, quae a tot Iuris Ciuilis aeque ac Feudalis interpretibus, quoad dominium, ad nauſeam usque ſunt inculcata, ruminari nolo, pauciſſimis me, vt ſcribendi ordinem obſeruem, expediam, definiendo dominium directum, ſiue potius dirigens, quod ſit dominium minus plenum, quo concedens & infeudans potiores dominii partes ſibi vna cum directione in vaſalli perſonam ac dominium vtile reſeruauit, absque iure vtendi, fruendi. Dominium hoc directum veteri idiomate adpellatum eſſe *ordeliche Eigenſchafft & herrſchafft* ex tribus inueſtiturae literis commonſtrauit SCHILTERVS in *Comment. ad Ius Ale-*

mann.

mann. p. 161. vbi vocabulum *ortel* ſiue *urtel* iudiciariam poteſtatem in cauſis feudalibus domino dirigenti, eiusque curiae feudali competentem innuere putat.

§. V.

Quid ſignificet territorium & quomodo inmateria ſubſtrata accipiatur, oſtenditur.

Porro praeſentis nec inſtituti ratio fert, omnia, quae circa diuiſionem, etymologiam, homonymiam, ſynonymiam vocis admodum ambiguae territorii notanda, exhauriendi, conferri hac in re meretur BRÜCKNERI diſſertat. ſupra allegata *de particul. ſubinfeudat. toto cap.* I. nec non HILDEBRANDI diſſertat. *de territorio clauſo & non clauſo c. 1.* §. *1. 2. ſeqq.* Sufficiat mentem declarare, quo videlicet ſignificatu vox: territorium: heic accipiatur. Accipiendum nimirum non, prout in ſcholis loqui amant, materialiter ſolum i.e. pro complexu duntaxat locorum & vniuerſo fundi diſtrictu, nec formaliter tantum, pro iure territoriali ſeu iure competenti in territorium & res, perſonasque, territorio incluſas, verum mixtim & pro complexu locorum & pro iure territoriali, ſiue iure terrendi, ſine quo ciues ac ſubditi in officio ac obedientia debita contineri nequeunt; vocis vrbis inſtar, qua cum ciuium multitudo & nexus imperantium ac parentium, tum ſolum & aedificia, quibus inhabitant ciues, ſubintelligitur. Quapropter, quoad ἔτυμον, eorum opinioni adſtipulor, qui a terrendi iure, quo gaudent magiſtratus, territorii vocem deriuant, eo magis quum haec deriuatio Iure quoque Romano e. c. *L. 239. §. 8. ff. de V. S.* ſit fundata, ideo-

ideoque ſemper mihi arriſit GRONOVII explanatio in commentatione ad diuinum Grotii tractatum de Jure B. & P. L. III. c. VI. §. 4. n. 2. vbi eam ob cauſam territorium a terrendi iure deriuandum autumat, quod moribus Romanis eo vsque pateat territorium, quousque fas erat magiſtratibus ac licitum, incedere ſubmoto i. e. ire praeeuntibus lictoribus, qui, vti ait, viam faciant & turbam ſubmoueant. Extra territorium, ſeu in terris alienae iurisdictionis hoc non fuiſſe permiſſum probatum iuit ex ſcriptoribus Romanis fide digniſſimis. Adſtipulatur literatiſſimis Gallorum Iureconſultus, BARNABAS BRISSONIVS, *de verborum ſignificatione, voce Territorium.* Hisce MAGERVS a SCHOENBERG forte commotus, territorium in tractatu ſolidiſſimo *de aduocatia armata c. III. n. 263.* haud inepte definiuit, quod ſit ius terrendi, quod magiſtratus inter ſuos fines exercet. Heic denique non omittendum puto, monere, permultos eſſe, qui curtis vocabulum idem denotare ac territorium contendunt, ideoque feuda diſpeſcunt in feuda in curte & extra curtem: vberiorem expoſitionem, ſi lubet, vide in GRIBNERI diſſ. *de dominio directo in alieno territorio* §. 2. & de vario vocis curtis ſenſu du FRESNE Gloſſario voce *cortis* & AVG. CHRISTIAN REHFELDT diſſ. *de feudis in curte & extra curtem.*

§. VI.

Dominium dirigens in alieno territorio a priori demonſtratur.

Quin vero dominium directum iure ſuperioritatis territorialis haud competens, ſed variis acquiſitum modis, quemadmodum alia regalia, aliave

 iura

iura, vt ius ſacrorum, ius patronatus, ius advocatiae, ius circa homines proprios, ius conductus paſſiui vel actiui, ius deprehendendi delinquentes & reliqua, quae recentiori ſtylo ſeruitutum iuris publici adpellatione veniunt, a celeberrimo ICto Helmſtadienſi ENGELBRECHTO, in peculiari eoque erudito tractatu *de ſeruitutibus Iuris Publici* expoſita, in alieno territorio exiſtere poſſit, ſiue, quin diſpari nexu vnius praedii cauſa duos dominos ſubordinate agnoſcere alicui fas ſit, cuius vni fidelitate, alteri ſubiectione ſubſit, ſane non video, quid obſtet, quum in vna eademque perſona diuerſiſſimi reſpectus concurrere posſint, ac vna eademque perſona diuerſimode conſideranda: hinc multum mirari ſubit hoc inficiantes, ac in dubium vocantes, prorſus immemores regulae: vnius rei plures eſſe poſſunt cauſſae, qui ſcrutando, an ſine domini territorialis conſenſu, praedia extraneo offerre & ſic principis iurisdictioni ſe ſubducere liceat, e veſtigio feuda extra curtem plane reiiciunt; Namque non vna ratione haec directa dominia in alieno territorio conſtitui, pluribus commonſtrauit GRIBNERVS *in cit. diſſ.* §. 13.

§. VII.

In quonam hodie, & in quonam olim differentia vaſalli & ſubditi conſiſterit, explanatur.

Ex his, quae iamiam poſuimus, fluit, magnum ineſſe diſcrimen vaſallum inter pure conſideratum, & ſubditum, quorum plurimas differentiae notas GERDESIVS ICtus quondam Gryphisvvaldenſis *in tr. de mandatis auocatoriis c. VIII.* §. *VI.* neruoſe dedit, fuſius vero KNIPSCHILD in ſpiſſo opere *de*

Nobi-

Nobilitate cap. IX. Praecipuam differentiae notam characteriſticam quaerunt in diſpari, quo dominis ſunt adſtricti vinculo, dum aiunt, vaſallus fidelitatis duntaxat, ſubditos vero ſubiectionis nexu domino eſſe obligatos, indeque hi, qui praeſtant homagium ſeu iuramentum ſubiectionis obedientium, *Geborſame*, iſti vero, qui praeſtant vaſallagium, ſeu iuramentum fidelitatis, fidelium, *Getreue*, nomine inſigniri conſueuerunt HERTIVS *de ſubiect. territor.* §. *XI.* IO. KAVEMANNI *Dominus & Subditus Part. II. tit. 1. n. 36. 37.* Quantumuis etiam haec omnia certa ſint ac indubitata; minimeque inficiandum, certo reſpectu conuenientiſſime hodie dici, aliud eſſe vaſallum, aliud eſſe ſubditum; nec a vaſallagio ſemper & vbiuis ad ſubiectionem territorialem, nec a dominio directo ad imperium territoriale recte inferatur: eosque duos maxime in legibus imperii fundamentalibus diſtincte adpellatos videamus, exemplum eſto art. V. §. 42. I. P. vbi: *nec non vaſalli, ſubditi* &c.; primaeuo tamen ſtatu longe aliter rem ſeſe habuiſſe, teſtis eſt acutiſſimus quondam ICtus IOH. SCHILTERVS in *comment. ad ius Aleman. ad cap. IV.* §. *IX. p. 67.* vbi, *regulariter olim*, inquit, *concurrerunt in vna perſona & fidelitas ſubiectionis & vaſallagii*: cauſſamque praemittit, eo quod ab initio feudorum, feuda de ſuo tantum dominio atque territorio ſubditis ſuis reges ac principes conceſſerunt: Et ſicuti in tota paragrapho id operam dat, vt oſtendat, vaſalliticae fidelitatis exactionem vetuſtiorem eſſe quam ſubditorum iuramentum, nec

non quemlibet vaſallum, nullo interueniente diſcrimine, olim extitiſſe ſubditum, ita ortum ſeparationis vaſalli a ſubdito in ſubſequenti paragrapho annectit, quem vel ab oblatione feudorum, vel ab exemtione quoad ſubiectionem, petit. Priori caſu, dominos territoriorum ſub certis conditionibus, quibus varias immunitates & ſuperioritatem territorialem ſibi reſeruarunt, terras ſuas in feudum obtuliſſe; poſteriori vero caſu, imperio hactenus ſubditos per ſpecialia priuilegia, ſaluo duntaxat vaſallagio, ſubiectionis immunes eſſe redditos, doctiſſime demonſtratum iuit, cui adiunge PVFENDORFIVM in diſput. *de re. publ. irregul.* §. 12. Ex quo tempore multiplicia feudorum hodie vſitatorum genera enata firmiter mihi perſuadeo, nec non diuerſum ius, diuerſamque poteſtatem pro circumſtantiarum diuerſitate, domino in vaſallos diuerſimode competentem eſſe enatam omnino praeſumendum arbitror. Hoc pacto poteſtas alia domino eſt propria, quod ſi feudum in territorio domini ſitum, & vaſallus ibidem domicilium fixerit; alia, ſi feudum extra territorium, & vaſallus ibidem domicilium habeat, alia, ſi feudum in territorio, vaſallus vero extra territorium habitet, vbi, prout variant caſus, poteſtas eſt vel extenſa, vel reſtricta, quae capita ſequentibus §phis paulo fuſius abſoluemus, cauſſasque inſimul, in quibus coram domino conueniantur vaſalli, reſpiciemus.

§. VIII.

Caſus ſi feudum in territorio ſitum,

Ad primum quod attinet caſum, ſi feudum in territorio ſitum, ibidemque vaſallus domicilium foueat;

ueat: Quaeſtio venit decidenda, an & quatenus vaſallus ſubditus nuncupari queat? Quam ad decidendam quaeſtionem circa praedicatum aliqua moneamus neceſſe eſt, ſcilicet qui praeſumantur ſubditi. Vbi modus conſtituendi ſubiectionem ab ipſo ſubdito probe ſecernendus. Subditus vulgo definitur, quod ſit perſona domino territoriali ad fidem, obſequium & reuerentiam vi ſubiectionis obligata. Quoad modum vero conſtituendi ſubiectionem, haud falluntur, tradentes, domicilium, (quod in Iure noſtro Ciuili *L. 7. Cod. de incolis*, locum ſignificat, vbi perpetuo permanendi alicui animus eſt, niſi aliud auocet,) veram & vnicam eſſe cauſam, quae faciat ſubditum proprie dictum vid. HERTIVS *de ſubiectione territoriali* §. *XII.* LAVTERBACH *de domicilio cap. VIII.* §. *50.* KNIPSCHILD *de Nobilit. L. 1. cap. XI. num. 101. &* *150.* MAGERVS a SCHOENBERG *de aduocat. armata cap. VI. n. 607.* Id quod tam Iuri Ciuili ac Canonico, quam moribus Germanicis conueniens, nec aequitati ac iuri naturae aduerſatur, dum nemo non in territorio quodam habitaturus, legibus Prouinciae ſe ſubiiciat, territorii ſuperiorem agnoſcat, iſtique fidem obſequium & reuerentiam praeſtet, prout par eſt, taciteque in cuncta haec, & ſubiectionem conſenſiſſe talis praeſumitur, nam, *omnem poteſtatem ad vnum conferri pacis interfuit*, ait TACITVS *L. I. Hiſt. c. I.* Caeteras autem notas, ſymbolaque, quibus vaſallum a ſubdito plerique ICtorum dignoſcere geſtiunt, qualia ſunt iuramentorum differentiae, diuerſaeque formulae in iſtis contentae, quibus domino vel fides, vel

ibidemque vaſallus habitet, proponitur, & quis dici queat ſubditus, deciditur.

obſequium, vel reuerentia promittitur, multis obnoxia eſſe dubiis, nec vbique validam eſſe concluſionem, quando ex homagii praeſtatione ad ſubiectionem inferendam vel eiusdem omiſſione ad pernegandam ſubiectionem argumentantur, colligo exinde, quod iuramenta ſaltim ſunt acceſſoria, nec nouam ac peculiarem producunt obligationem, verum, vt PVFENDORFIVS *de Iure Nat. & Gent. L. IV. c. II.* pronunciat, in ſeſe validae, velut acceſſorium quoddam vinculum ſuperuenit, dein quod illa iuramenta, ſalua fidelitate, vid. Magni ICti G. A. STRVVII *Synt. Iur. Feud. cap. VIII. aph. 16. num. 3.* ſaluaque ſubiectione ex ſpeciali domini gratia remitti poſſunt, KLOCK *conſ. 17. p. 329.* tum, quod verba *Geborſam, Gewertig, Getreu* multiplicis ſunt ſignificatus, & modo pro obedientia, modo pro fidelitate accipiuntur, vti teſtatur doctiſſimus DANIEL HEIDERVS *der Lindauiſchen Ausführung pag. 840. & 841.* Eadem ratione multae inueſtiturarum literaè Auſtriacae mihi oculis obuerſantur, vbi formula fuit adhibita, *Getreu, Gehorſam und gewærtig*, quis vero dicat, Sereniſſimos Marggrauios Brandenburgicos iſtos vt ſubditos, ſeu tanquam ſubiectione ipſis territoriali adſtrictos vnquam habuiſſe, ſiue hoc ius ſibi vnquam vindicaſſe; omnia igitur potius ſecundum ſubſtratam materiam ſunt intelligenda, ac conſuetudines loci ſedulo inſpiciendae; Quibus ſuperſtructis, facillimum nunc erit adplicatu, vaſallum quoque nullo interueniente diſcrimine, an ſit mediatus, an immediatus, vi I. P. *art. V.* §. *28.* cuius feudum in territorio domini dirigentis ſitum, ibidemq; domi-

mi-

micilium foueat, eſſe ſubditum, idque tam Iure antiquo, BEYER *delin. Iuris Germ. L. III. c. XXI. §. 61.* quam praxi Camerali v. ROSENTHAL *de feudis c. VI. concl. 85. n. 9. lit. m.* vbi dicit, ſaepius in camera, imo quotidie ſic obſeruari. Qua de cauſa Domini territoriales in mandatis atque edictis, quae euulgantur, ac affiguntur, his iure meritoque vtuntur formulis: *Wir gebieten allen unſern Prælaten, Graven, Herren, denen von der Ritterſchafft, Burgermeiſtern, Richtern, Rath der Städte &c. Schultheiſſen, Dorff-Vorſtehern und insgemein, NB. allen Unterthanen wes Stands oder Würden ſie ſind.* v. SECKENDORF *Fürſten-Staat Part. II. c. I. §. 5.*

§. IX.

Diſtinctio in territorium clauſum & non clauſum reiicitur.

Nec eſt, vt diſtinctionis in praeiudicium Sereniſſimorum Statuum Imperii in Franconico, Sueuico, & Rhenano circulis inuentae, inter territorium clauſum & non clauſum, vix ante Seculum enatae rationem habeamus. Quemadmodum enim ipſimet ſtrenui huius diſtinctionis adſertores de eius ſignificatu, origine, atque explicatione ſerram altercationis inter ſe reciprocant v. THOMASII *diſſ. de inutili brocardico: quidquid eſt in territorio, praeſumitur etiam eſſe de territ. §. XLII.* nec ipſi ſaepius norunt, quid velint, dum hic fundamentum huius diſtinctionis collocet in diſtinctionis terrae mediatae & immediatae, vt COCCEIVS, *Iur. Publ. c. XV. §. 40. ſeqq.* alius in diſſipatione Ducatuum Franconiae & Sueuiae, extincto Conradino, vt D. HILDEBRAND *in diſſ. de territ. clauſo & non clauſo cap. II. §. 5.* tertius in ſtatu prouinciarum

rum, qualis proxime ante & poſt fractos Saxoniae, Bauariae, Franconiae, Sueuiae ducatus erat, vt auctor examinis diſſert. *de Iurisd. feudalis* Neumanno a Puchholz, oppoſit: *cap. VIII.* §. *10. ſeqq.*, quartus in maiori aliqua poteſtate, quae in territorio eſt, vt TITIVS *de habitu territ. c. I.* §. *72* & ſic porro, variique qui in euoluendis ſcriptis ad hanc materiam ſpectantibus deprehenduntur ſignificatus, quilibet rem in ſuam, ſuique domini partem interpretaturus, rem reddunt incertiſſimam; ita poſito, ſed non conceſſo, quod omnes circa huius diuiſionis naturam & effectus ſint conformes, nil inde enaſceretur, niſi vana quorundam ICtorum atque inanis opinio, quae licet in multis partium ſtudio deditis animis altas radices egerit, & quandam veritatis ſpeciem prae ſe ferat, nullo tamen legum fundamentalium nititur fundamento, nec vnquam legis vim ac vigorem obtinebit *arg.* CAPIT. CAROL. *art. XV.* circa finem; hinc, *nulla*, inquit Per-Illuſtris I. P. DE LVDEVVIG in opuſc. Miſc. *Tom. I. L. II. c. 3.* §. *10. lege ſcimus doctorum reſponſis auctoritatem tribuendam eſſe in publici iuris litigio, cum eorum priuilegia intra limites potius verſentur iuris priuati.* Miſeram igitur cauſam & omni iure deſtitutam autumo, cuius iuſtificatio a diſtinctione iſta vel ſola, vel praecipue dependet, & miſerrimam eſſe oportet eruditionem doctorum, quibus in deducendis iuribus dominorum ſuorum aqua ſtatim haeret, ſi non ad illam diſtinctionem tanquam ad ſacram anchoram refugere ipſis liceat. Qua de cauſa praeſtat ſubſcribere ſententiae Illuſtris Praeſidis, qui, dum in *Synt. Iur. Publ.*

cap.

cap. V. §. *5.* neruoſe, ac ſolide rem decidens, contrarium a poſteriori erudite docuit, clauſulam annectit, omnia praeſumi clauſa, donec exemptio demonſtretur, quocum, vt e diuerticulo quaſi redeamus ad ſupra dicta, coincidit; principes & alii territoriorum domini fundatam intentionem habent ex eo, quod omnia, quae intra eorum territorium continentur, ordinariae ipſorum iurisdictioni ſubiecta cenſeantur, niſi probetur & doceatur exemptio KNIPSCHILD *tr. de Nobil. L. I. c. IX. n. 147.* quae exemtio titulo habili eſt demonſtrando, etiam, vti TEXTOR in *tr. de poſſeſſ. iurisdict.* vult, in poſſeſſorio.

§. X.

Subiectionis effectus eſt, vt ab huius commatis clientibus homagii praeſtatio cum vaſallagio coniuncta, quae a ICtis vulgo ſubiectionis agnitio adpellitari conſueuit, exigi queat, vi cuius, ad obſequium, reuerentiam ac fidem domino praeſtandam vaſallus eo magis adſtringitur, &, quum huius generis vaſallus duplici & fidelitatis & ſubiectionis vinculo domino ſit obſtrictus, facile eſt ad intelligendum, iſtum in omnibus, quae excogitari poſſunt, cauſis tam perſonalibus, quam realibus, in cauſis tam feudum, eiusque nexum concernentibus, quam ciuilibus, criminalibus, eccleſiaſticis & quae ſunt reliqua, parere domino territorii, ac in ipſius curia reſpondere cogi poſſe. Quod, ſi opus eſſet, multis ac infinitis exemplis practicis declarari poſſet, vnicum exemplum addo, nimirum exercitium Iuris territorialis in Ioachimum

Quid iuris in vaſallum qui ſimul eſt ſubditus & quibus in cauſis ſe talis vaſallus coram Domino ſiſtat, oportet, enarratur.

 Truch-

Truchſes von Wetzhauſen, nobilem Imperii Immediatum in ſententia de an. 1593. Ioannis Caſimiri, Ducis Saxoniae contra iſtum lata: vbi inter alia extant haec verba: *Wenn du nun gleich an andern Orten auſſerhalb unſers Fürſtenthums Reichs-befreyete Güter haben und dich dahero für einen freyen vom Adell mögeſt, ſo beſtehet doch ex praeſtatione homagii, ratione ſubiectionis domicilii, nec non iuramenti fidelitatis, ratione feudi & bonorum, ſo du von uns zu Lehen getragen, vor uns zu ſtehen ſchuldigk.* Et paulo poſt: *derowegen biſt du auch ſchuldigk und verbunden, vor uns in allen Sachen tam perſonalibus, quam realibus zu ſtehen: zum andern biſt du unſer geſchworener Landſaſs und Vnterthaner, nicht allein ratione bonorum, ſondern auch ratione domicilii.* videatur Illuſtris Praeſidis *Neu-Eröffnetes Hiſtoriſch- und Politiſches Archiv* Pars I. p. 291. ſeqq.

§. XI.

Quid iuris, in caſu, ſi feudum extra territorium ſit! ſitum, ac ibi vaſallus domicilium foueat, deditur.

Toto, vt aiunt, coelo a noſtro caſu propoſito diſpeſcitur alter, ſi feudum extra territorium ſitum, ibidemque vaſallus domicilium fixerit. Enimuero ſicuti iſte duos agnoſcere tenetur dominos, & territorialem & feudalem, vel ſi ipſe eſt dominus territorialis, prout ex exemplis ſupra allatis pateſcit, tantum, quoad cauſas feudales, feudalem: ita nil, quod in detrimentum, multo minus deſtructionem ſuperioritatis territorialis vergat, admittendum, ſed potius literae inueſtiturae, iuramenta clientum, ſeruitia, cunctaque reliqua ea lege ſunt regulariter interpretanda, vt vtrique & territoriali domino & dirigenti ius ſuum

ſuum maneat ſaluum ſartumque. Idcirco Domino quidem directo ſpecialis fides debetur, quae & fidelitatis iuramento, quod vaſallagium vocant, fulcitur, tantum tamen abeſt, vt iſthaec ſubiectionem territorialem inuoluat HILDEBRAND *diſſ. de vaſallagio ſubiectionem non inferente c. I. §. VII.* deinceps talis vaſallus, non, niſi in feudalibus, vel quae ad feudi nexum pertinent, cauſis, quales praecipue ſunt, quodſi vel inter ipſum Dominum & vaſallum, vel etiam inter duos vaſallos eidem domino nexu vaſallitico obſtrictos, controuerſia enaſcatur de natura, lege, pacto, inueſtitura, ſeruitutibus, debitis feudalibus, oppignoratione, acquiſitione ac priuatione feudi iam conſtituti, reliquisque, quae in STRVVII *Synt. I. F. cap. vlt.* §. *IV.* & LVDOVICI *Lebens-Proceß c. I.* §. *4.* & §. *10. vt* & *11. Feud. 55.* enarrantur, coram Domino feudi, quem SCHRADERVS *P. X. ſect. 8. n, 14. fol. 255.*, reſpectu habito ad res feudales, ordinarium iudicem nominat, & coram curia ſaltim feudali conuenitur, in reliquis vero cum perſonalibus tum realibus actionibus, territorii Dominus haud dubie adeundus, vi ſuperioritatis territorialis, ipſi competentis. Interim non diffiteor, in vnoquoque feudo in alieno territorio probe eſſe obſeruandum, quibus modis ſit conſtitutum, an a Caeſarea Maieſtate tali quis dominio directo inueſtiatur, an vero illud territorii dominus alicui conceſſerit, an porro ſubditi, aut licite, domini puta territorialis permiſſu, an illicite, Domini poteſtati territoriali ſeſe ſubducendo aliis obtulerint, nec non an pacta inter feudi & territorii dominos

inita adſint, vel an immemoriali praeſcriptione aliquod ius in vaſallos & feuda, ſciente ac tacente Domino territoriali, acquiſiuerit, vel omnibus his deficientibus, mores & conſuetudines cuiusdam regionis maxime ſunt attendendae. Vnicum ad vltimum hoc aſſertum meum ſtabilendum adducam locum viri celeberrimi, IO. IOACHIMI MVLLERI *in Reichs-Tags Theatro unter Kayſ. Frider. VI. Vorſtell. cap. XXIII. §. 50. p. 333:* vbi ſequentia de feudis Saxonicis in alieno territorio ait: *Iſt das Lehen auſſerhalb Sachſen gelegen, vvelch ein ausvvartig Lehen genennet vvird, ſo hat der Vaſall, vvenn er nicht ſonſt vvegen anderer in Sachſen gelegenen Güter ein Unterthan iſt, nur die Lehens-Pflicht abzulegen, vvievvohl er, vvelches einer beſondern obſeruanz der Sächſiſchen Lande zu zuſchreiben, vor Sachſiſchen Gerichten in allen perſonal und denenienigen Real-Klagen, ſo das Lehen betreffen, belanget, und da er ungehorſamb auſſenbleibet, bey Verluſt der Lehen, citiret vverden, die Execution aber nicht vveiter, als in das Lehen, vvivvohl vermittelſt requiſition des iudicis ordinarii, vollſtrecket vverden kan.*

§. XII.

An non in perſonalibus cauſis tempore antiquo vaſalli feuda extra territorium habentes, ibi-

Haec perluſtrando, in mentem mihi venit, an non aeque Iure antiquo vaſallus, etiamſi feudum extra territorium ſitum, ac ibidem habitet, in perſonalibus ac feudalibus coram domino directo ſiſtere ſe obligatus ſit. Quam coniecturam euincendi periculum facturus, rem ex priſco miniſterialium ſtatu, quanta poterit fieri breuitate, deduco. Miniſteriales

ſiue

ſiue *Dienſtmannum* qui inter ſeptem clypeos militares ſeu *Heerſchilde*, in quos nobiles in legibus olim Germanicis, vtpote *Iure Alem. c. 1. §. 1. Landrecht Lib. I. art. III. &c.* diſtinguebantur, ſextum clypeum gerebant; hi, vtut nomine & re a vaſallis differrent, vti Illuſtris Praeſes in *Hiſtoria Iur. Cap. VIII. §. 10.* ex ſcriptoribus probatiſſimis demonſtratum iuit; tantum tamen aberat, vt incapaces fuerint feudorum acquirendorum & concedendorum, vt potius omnes ac ſinguli, qui ſub quadam ſeptem clypeorum militarium claſſe comprehendebantur, caeteris, qui clypeo carebant, excluſis, eſſent digni, qui feuda acquirerent. Id quod non tantum ex ipſis iuris antiqui fontibus, ſed & auctoritate ac teſtimonio ſcriptorum fide conſpicuorum, & exemplis permultis, ſi inſtituti ratio & temporis anguſtiae permitterent, commonſtrari poſſet. Sic AVCTOR VETVS DE BENEFICIIS *§. 50. p. m. 114. edit. Thomaſ.* ait: *dominus nullius hominium recipere renuat, niſi illius, qui legali clypeo careat*, quocum conuenit IVS ALEMANNICVM *cap. XLI.* SAXONICVM *cap. XXIII.* LANDRECHT *cap. XVII.* Notatu inprimis digna iudico, quae LEHMANNVS, in Chronico Spirenſi *c. XIX. p. m. 91. edit. an. 1612.* poſuit, cum ait: *Edlingi oder Edelknecht haben geheiſſen, die von Urſprung und Anfang frey gevveſen, und deren Freyheit von einem zum andern von vielen unerdencklichen Jahren gevvehrt, und niemahls zu Knechten oder Schlauen gemacht ſeyn, faſt allenthalben vverden ſie miniſteriales genennt, ſonder Zvveifel darumb, daß ein ieder bevorab in ſeiner Jugend den Königl. Hoff* be-

demque habitantes, coram domino directoquandoq; conuenti fuerint, inueſtigatur.

bedienet, und hernacher von König nach ihren Verdienen, oder des Glücks wohlmeynen mit Lehen Gütern begabt, und davon den Nahmen vaſſi oder Vaſalli dominici bekommen, & quae in Friderici II. Imperat. Iure quod a GOLDASTO *in Reichs-Satzung Part. II. an. 1236. c. I. n. 5.* adlatum, reperi, vbi verba: *bezuget er hernach dye Dienſtman oder dye eygen Lute der Richter in des Gerichte es geſchehen iſt, der ſoll ſie zu acht thun, und ſoll ſie nimmer drauß laſſen, ſie wollen denn dem Vater den Schaden zwiveltig geben, den er von yene Rate oder Hülffe genommen hat, und den Richter ſin recht. Dieſelben Lehen hebent von dem Vater, dieſelben Lehen ſollen dem Vater ſin ledig zu Hant, ſo er ſich bezugt, und ſoll ſyn yene nimmer wieder Lehen, lihet er yne ſie aber wieder, ſo ſoll alſo viel, als des Lehen iſt, den Richter ohne Wiederrede geben.* Ex quibus omnibus luculentiſſime patet, miniſteriales etiam extitiſſe vaſallos. Sicuti vero inter varia, quam dominus in miniſteriales exercebat, poteſtatis genera, haud infima erat, vt obligari, permutari, nec non venditione, & quouis alio titulo vel contractu vna cum Comitatibus, Dynaſtiis, feudis & caſtris, quibus erant adſcripti. transferri potuerint, conf. Illuſtris de PLOENNIES *diſſ. de miniſterialibus, theſi XVI. & XVII.*, quales permutationis ac emtionis contractus, vbi reuera translati ſunt, adpoſuit ANT. MATTHAEI *de Nobilitat. L. IV. c. VIII. p. 945. & cap. XXIII. p. 1074.* & auctor ſupra laudatus *der Lindauiſchen Ausführung p. 595. & 596.* Summe quondam Reuerendus Antiſtes Quedlinburgenſis D. FRIDER. ERNEST. KETTNER *in*

in Antiquitatibus Quedlinburg. p. 133. ſeqq.; ita facile euenire poterat, vt vna cum Miniſterialium translatione, feuda inſimul, quae poſſidebant, darentur & conſtituerentur extra territorium, facit huc transactio inter Comitem Hollandiae & Epiſcopum Traiectinum inita, quam ex HEDAE Hiſtoria MATTHAEI *de nobilit. L. IV. c. XXIII. p. 1074.* ſequenti modo adfert: *Omnes Miniſteriales vel ſeruos, qui ad Epiſcopatum pertinebant in terra comitis Hollandiae manentes, exceptis militibus, & eorum liberis, dedit mihi & meis ſucceſſoribus Dominus meus Traiectenſis Epiſcopus; Ego ſimiliter omnes miniſteriales, vel ſeruos, qui ad comitatum Hollandiae pertinere dicebatur, in terra Epiſcopi manentes, exceptis militibus & eorum liberis:* vbi quaelibet pars milites, ſub quibus temporibus antiquis & ſenſu Iuris Longobardici vaſalli ſubintelliguntur, in alieno territorio ſibi reſeruauit. Quorum vero vaſallos, quod nobis potiſſimum incumbebat demonſtrare, tam in feudalibus cauſis, quam in mere perſonalibus coram Domino dirigente fuiſſe conuentos, nimia, quam dominis competiit in vaſallos, qui ſimul erant miniſteriales, poteſtas, neminem dubitare ſinit, conferri heic omnino meretur laudati a PLOENNIES diſſert. *de miniſterialibus a pag 8. vsque ad p. 21.*, qui optimorum ſcriptorum teſtimoniis munitus, eorum poteſtatem diſtincte explicuit, & potiſſimum §. 35. demonſtrauit, multos nobiles hodiernos, ex miniſterialium claſſe deſcendiſſe.

§. XIII.

§. XIII.

Tertius caſus: ſi feudum in territorio ſit ſitum, vaſallus vero extra territorium habitet; propoſitus deciditur.

Sed pedem nunc promoueo vltimum ad caſum, quodſi feudum quidem in territorio ſitum, cliens ſeu vaſallus vero extra territorium larem, fortunarumque ſuarum ſedem conſtituit. In diuerſas heic incidimus Doctorum opiniones, quas omnes prolixe exponere, ſuperfluum duco; ſunt enim, qui in his vaſallis homagii praeſtationem negant, ſunt vero, qui diſſentiunt, iſtudque omnino praeſtandum aiunt e. g. PHIL. KNIPSCHILD *de Nobil. L. I. c. XI. n. 151. & de Ciuitat. Imperii L. I. c. III. n. 17.* Plerique diſtinguunt inter homagium perſonale, ſeu plenum, & reale, ſeu minus plenum; iſtud ſubditum facere, hoc vero nequaquam ſtatuunt, KNIPSCHILD *de Nobil. L. I. cap. XI. n. 160.* & KAVFFMANNVS *in domin. & ſubdit. P. II. tit. I. n. 29.* ſe fundans in *L. 18. §. 25. ff. de muneribus & honoribus*, ideoque ſic definiunt homagium reale, quo quis ſolummodo ratione bonorum nonnullorum alterius Iurisdictionem & imperium agnoſcit alii vero iſtos, qui iuramentum reale praeſtitere, ſubditos reales adpellant vti HERTIVS *diſſ. de ſubiect. territ. §. III. Tom. I. opuſc. p. 369.* ETBEN *elect. feudal. c. XI. §. 14.* alii rurſus, quos HVLD. ab ETBEN *in cit. cap. §. 14.* adfert, illam diſtinctionem vt vanam ac inſolitam plane reiiciunt, tantamque animaduertimus opinionum diuerſitatem, vt profecto difficile ſit, certi quid hac in re definire, dum hoc in caſu conſuetudini plurimum eſſe attribuendum teſtatur MYLERVS ab EHRENBACH *de princip. ac ſtat. Part. II. cap. XXXVIII. §. 6. p. 349.* Quidquid ſit, hoc ta-

tamen vero maxime videtur conſonum, tales vt clientes tam in feudalibus, quam realibus actionibus, cauſisque bona in territorio ſita, concernentibus, coram domino directo conueniri queant, iſtorumque bonorum intuitu ſaltim domino ſubiecti videantur vid. HORNIVS *in Iurispr. Feudali c. XIII.* §. *IV.* in mere perſonalibus autem actionibus non aeque, eo quod bonorum poſſeſſio perſonam, qua talem, non afficit, ſed perſonae tantum ratione bonorum & onerum hoc vel illud iniungitur & ad bona pertinet, videatur HERTIVS citato loco. Ideoque his in actionibus tantum coram domino in cuius territorio degunt, ſe ſiſtant, neceſſe habere credo. Aſt, quanquam cuncta haec in theſi firma videantur, mores tamen regionum & praxin etiam heic variantes cernimus, vt adparet ex cauſa *Ortenburg* contra *Beyern* & *Waldeck* contra *Sachſen.*

§. XIV.

Perſpectis nunc cauſis, in quibus vaſalli ſe coram domino dirigente ſiſtant, oportet, nec non diuerſo clientum reſpectu, ſupereſt, vt leui duntaxat brachio nonnulla de curia & magiſtratu vaſallorum tangamus. Priſcum ſtatum inſpicienti adparebit, cauſas feudales olim indiſtincte coram paribus curiae fuiſſe ventilatas; quos in plurimis cauſis eosdem cauſas ciuiles audiuiſſe, nec iudicium aulicum, niſi die ſiue termino e. c. *Montag war Hoffgericht, Donnerſtag war Lebengericht, &c.* & obiecto diſtuliſſe, praeter alias coniecturas ex HENRICI SPELMANNI Britanno-Angli aſſerto, probabiliter confici poteſt, qui in

Heic de loco iudicii feudalis, diuerſo iſtius nomine, & modo procedendi breuiter agitur.

Gloſſario ſub voce: *pares:* tradidit, priſco Iure Feudali pares curiae obligatos fuiſſe adeſſe domino in quibuslibet cauſis grauioribus, domi conſilio, foris armis &c. Sic & nullibi certum legimus praeſcriptum ad iudicium feudale deſtinatum, ſed, vt ex cap. CXIV. *Iur. Alemann.* in omnibus locis patet, exceptis Eccleſiis & coemiteriis, iudicia feudalia celebrare erat permiſſum. Quod iudicium modo *Lehntegeding*, modo *Mann-Cammer*, modo *Mann-Gericht* nuncupatum, ſicut & hodie in quibusdam regionibus *Lehen Canzeley*, in aliis *Lehenhoff* audit. Modum vero procedendi antiquum, ſiue ſit praeſens vaſallus, ſiue abſens, ſi nimirum contra contumacem proceditur, viuis quaſi coloribus delineauit, SCHOTTELIVS in tr. *de ſingularibus Germaniae iuribus cap. IV a. pag. 118-127.* cui deſcriptioni annexit formulas, quibus vaſalli in inſtitutis contra dominos actionibus vſi; modernum vero Proceſſum enucleauit LVDOVICI *in Leben-Proceſſ. a. cap. V.* vsque ad fin. tractationis.

§. XV.

Cauſarum feudalium magiſtratus & eorum diuerſitas, pro cauſarum & iurium diuerſitate exponitur.

Quod magiſtratus vero & iudices feudales, caſus inter ſe inuicem probe ſunt ſeparandi. Multum nunquam non intercedebat diſcriminis, an lis ſit exorta duos inter vaſallos de re feudali, an vero controuerſia ageretur inter dominum & vaſallos, vel dominum cauſa aliquatenus concerneret. Sin prius; dominus feudi dubio procul erat competens iudex *II. Feud. 55 §. 2. praeterea ſin inter &c.* adhibitis tamen paribus curiae vt G. A. STRVVIVS *in Synt. Iur. Feud. cap. vlt. aph. V. n. 1. ex. 1. Feud. 18.* demonſtratum iuit & IVS ALEMANNICVM

NICVM *cap. CXVI.* hoc exigit, ſin poſterius, pares curiae erant iudices competentes, eo quod nemo in propria cauſa iudex eſſe debet, idque tam Iure Feudali *II. Feud. 16. 20. 55. in fine*, quam antiquis legibus Teutonicis, *cap. X Iur. Alemann.* aliisque, hoc tamen interueniente discrimine, vt iuxta Ius antiquum Alem. dominus in propria quoque cauſa, quamdiu praeparatoria cauſae agebantur, ipſe curiae praeſideret, in ſucceſſu autem proceſſus, pares cauſas domini audientes & iudicantes, a Domino conſtituerentur & curiae praeponerentur, vt liquet *ex cap. CXX. Iur. Alem. So der Herre mit ſiner Manne Lebenrecht tun vvill, ſo ſoll er einen einer Manne an ſine ſtat ſetzen, den man nüt argvvenig hete* confer: SCHILTERVS in comment. ad hunc locum; ſecus ac Iure Feudali Longobardico, vbi, vti textus *II. Feud. 16.* teſtatur, contentio inter dominum & vaſallum per pares illius domus, (haud igitur conſtituti a domino,) dirimebatur. At enim vero vnde hi iudices parium curiae adpellationem ſortiti, in varias ſententias abeunt interpretes, quas LIMNAEVS *notitia regi Francici c. XXV.* ſedulo congeſſit. Rei conuenientiſſimum eſt, ſtatuere, hoc nomine fuiſſe inſignitos, quia compares & ratione vaſallagii aequales ſunt, conf. du CANGE *in Gloſſ. ſub voce: pares.* Sunt enim pares curiae vaſalli, ſeu conuaſalli, qui in eadem curia, curte, domo, ſeu territorio, regis ſiue principis, ſiue comitis, vel in eadem ditione, in qua feudum ſitum, ab vno eodemque domino feuda acceperunt, eodem vinculo ipſi obſtricti, pares etiam conditiones requirebantur cum vaſallo litigante.

§. XVI.

Quaeſtio, an hodie adhuc dentur pares curiae, deciditur.

Grauis inde enaſcitur quaeſtio, an conclientes, ſeu pares curiae adhuc hodie iudicis vicem obeant! Haud deſunt, qui id negant, nec, qui affirmant. Negantem ſententiam inter recentiores ſcriptores defenſum iuit B. GEOR. BEYERVS *in delin. Iur. Feud. cap. X. th. 25.* aliosque vt SECKENDORFIVM STRVVIVM. & SCHOTTELIVM huic ſententiae adhaerentes allegauit; affirmantem contra tuetur SCHILTERVS *in comment. ad ius Alem. ad Cap. X. §. 2. p. 111.* Neutri vero horum parti calculum vniuerſim adiicere fas eſt; nam quae a Beyero loco citato adſerta, quod, quae a paribus curiae adferuntur, nullius ſint momenti, permultis exemplis harum curiarum feudalium hinc inde vigentium & a LVDOVICI *in Lebens-Proceſs c. I. p. 60. ſeqq.* deſcriptarum refelluntur; Sic nec Schilteri ſententia heic in vniuerſum locum habet, dum oſtendit, vaſallis parium iudicium petentibus id non denegari poſſe, vel etiamſi nonnullibi cognitio cauſſae domini cum vaſallo per regimen aulicum expediatur, conſiliarios tamen praeſumi, vel ex vaſallis, vel ex parte duntaxat adſcitos, adeoque reuera eſſe pares: quilibet enim facile aſſenſum mihi praebebit, conſiliarii munus cum parium curiae officio non eſſe confundendum, dum a conſiliario ea, quae a pare curiae, non requiruntur. dein, licet ius feudale Longobardicum, quod doctrinam parium curiae in ſe continet, in Germaniae ſit receptum, in ſubſidium tamen tantum eſſe receptum, quatenus videlicet conſuetudinibus Germanicis & cu-

ius

iuslibet regionis haud repugnat, docuit Illuſtris THOMASIVS *in Select. feud.* §. *LXXII.* Conſuetudines vero contrarias dari, ita, vt parium iudicium nonnullis in regionibus plane hodie ceſſauerit, & in eius locum vel arbitrium conſtituitur, vel cauſa domini cum vaſallo ad ſummum adpellationis iudicium prouinciale deuoluatur, indubitatis exemplis confirmauit ſaepe citatus LVDOVICI *in Lebens-Proceſs c. I.* §. *62. ſeqq.* Praeſtat igitur, quemadmodum in multis aliis, ita & in hoc iuris feudalis capite, conſuetudines moresque attendere, quos pro diuerſitate regionum mirum in modum variantes obſeruabimus.

§. XVII.

Denique ſilentio haud praetereundum, curiam regulariter aulam domini ſequi. Quae licet regula videatur vniuerſalis, in Auſtria tamen patitur exceptionem, vbi domini dirigentes extranei, vtpote Epiſcopi Babenbergenſis & Paſſauienſis, Marggrauii Brandenburgici in Franconia, aliique ſpeciale iudicium conſtituere tenentur, ex priuilegio Auſtriacorum praetenſo, vſu longiſſimo confirmato. Qua ratione recentiori aeuo a Ferdinando Rege Romanorum mandatum generale quinque prouinciis haereditariis Auſtriae inferioris iniunctum, ne extra territorium inueſtituram accipiant; verborum tenor ſic ſe habet: *So gebiethen wir euch allen und einem ieden inſonderheit mit allem Ernſt und wollen, daſs ihr nun hinführo die Lehen, ſo ihr von den ausländiſchen Fürſten zu erſuchen und zu empfahen habt, allain im Land empfahet und euch keines weges underſtehet, unſers*

Exceptio regulae: curia aulam domini ſequitur: adducitur.

 Hauſs-

Hauſs Oeſterreich Freyheiten und unſern General-Mandaten entgegen und zu wieder, dieſelben Leben auſſerhalb Landes zu erſuchen &c. dat. 1544. vid. LVNIG *Reichs-Archiv Part. Special. Continuat. I. unter Oeſterreich in ſupplemento.* Anſa quidem heic nobis praebetur, curiam Marggrauiorum Brandenburgicorum in Auſtria deſcribendi, verum, quum infra commodior mihi videatur, locus, finem tractationi generali impono, ab vlteriori explanatione ob temporis anguſtias ad ſpecialiorem laborem, qui fini noſtro proprius, auocatus.

PARS SECVNDA
DE
DOMINIO DIRECTO SERENISSIMORVM MARGGRAVIORVM BRANDENBVRGENSIVM IN AVSTRIA.

§. I.

Veritas feudorum Brandenburgenſ. in Auſtria euincitur.

SEreniſſimorum Marggrauiorum Brandenburgicorum lineae Franconiae Proſapiam ſiue Maiores atque Imagines immortali gloria conſpicuas, vel potius ipſarum res in ſago, togaque, domi, foriſque a multis ſeculis inſigniter geſtas contemplaturi, non eſt, vt miremur eximia, quibus gaudent, iura ac regalia, quae cooperantibus ipſorum factis Heroicis, ac tantis in Imperium Romano-Germanicum meritis, ſuffragantibus, Sereniſſimae ipſorum Domui ſenſim ac per alluuionem quaſi propria ſunt facta atque hereditaria. Pereximia inter Regalia ac iura de quibus

bus Domus Brandenburgica ſuperbit, niſi principem, tamen nec infimum ſibi vindicat locum ingens vaſallorum tam intra, quam extra fines territorii degentium numerus, qui tantos in toga ſagoque Heroes virtutem ac pietatem maiorum viua quadam imagine referentes, venerantur, fide proſequuntur, ipſorumque dominium directum debita reuerentia agnoſcunt. Nobis aliis omiſſis, ſaltim heic curae, cordique eſt, clientes ipſorum in Auſtria, eorumque feuda exponere. Quae adeo vera, adeo certa, adeoque indubitata ſunt, vt qui iſta in dubium vocare ſibi ſumunt, literarum inueſtiturae multitudine, ſcriptorum fide digniſſimorum, etiam Auſtriacorum teſtimonio, curia feudali a Sereniſſimis Marggrauiis in Auſtria ordinata, & in hodiernum vsque diem inconcatenata ſerie continuata, quin ipſa vaſallorum inſignium agnitione, confeſſioneque refelluntur.

§. II.

Auentini & eius aſſeclarum ſententia de origine feudorum recenſetur.

Antequam vero hoſce vaſallos ac beneficia longo enumeremus catalogo, operae pretium exiſtimaui, rem altius repetere, & ortum horum feudorum Brandenburgicorum in Auſtria, in quantum alii iamiam iſtum ſunt perſcrutati, oculis ſubiicere. Primus, qui certum fundamentum, certamque originem inueſtigaſſe ſibi perſuaſit, extitit IOAN. AVENTINVS, qui originem *in Annalib. Boiicis Lib. VII. pag. 722. edit. Gundling & Lib. VIII. edit. Germ. pag. 786.* a tempore ancipitis proelii atque atrocis inter Ludouicum Bauarum & Fridericum Pulchrum Anti-Caeſares an. MDCCXXII, ad Muhldorſum prope Ampfingam in Baua-

Bauaria geſti, deducit, vbi Fridericus Burggrauius Norbergenſis, qui vna cum Rege Bohemiae aliisque a partibus Ludouici Bauari ſtetit, multum Bauaris ad victoriam momenti adtulit. Burggrauius etenim, qui iuſſu Schvveppermanni, ſummi praefecti Bellici, cum quadringentis equitibus trans Iſen iſcum in ſubſidio atque inſidiis deliſcebat, ardente iam pugna & fortuna ad Fridericum Pulchrum nimis inclinante, Auſtriaca ſigna, quibus hoſtis, copias Leopoldi auxiliares expectans, decipiebatur, praeferenda iuſſit, eoque ſtratagemate ac virtute Friderici Burggrauii interueniente, pleniſſimam Ludouicus reportauit victoriam, ſeu vt AVENTINVS citato loco num. 45. ſcribit: *iuſſu Schvveppermanni Fridericus Noribergenſis Praefectus ſigna Auſtriaca habens erumpit, Iſeniſcum, qui vadoſus eſt, tranſit, terga hoſtium, qui Luitpoldum fratrem Auſtriaci eſſe, atque ſibi in auxilium properare rebantur, inuadit, animum Boiis reddit, recentes atque integri facile fatigatos caedunt, fundunt a fronte, a tergo inſtant, vrgent, proſternunt.* Tandem Fridericus, vt Auentini verba contraham, a Rindsmaulio captiuus factus, in arcta cuſtodia obſeruatur, quemadmodum quoque mille centum atque ſexaginta Auſtriae optimates viui in poteſtatem Ludouici Imperatoris perueniſſe feruntur. Quos optimates ac proceres in virtutis egregiae hoſtimentum Burggrauio addixiſſe ſequentibus indicat modo laudatus Auentinus num. 47. *Proceres Auſtriaci Friderico Vrbis Noribergae addicuntur. qui ſeruati, & vita donati, domum libere dimiſſi, ſeſe in clientelam ſeruitu-*

uitu-

uitutemque perpetuo Noribergenſi praeſidi dicarunt, adeo vt etiam nunc, quoties fata patroni clientisue tulerint, ſeſe viuere, ac quidquid habent, non iure ſuo, ſed illius beneficio poſſidere agnoſcant, in verbaque illius iurent ſeu vti verba editionis Germanicae *Lib. VIII. p. 786.* ſeſe habent. *Den gefangenen Adel aus Oeſter-Reich gab König Ludvvig mit ſamt den Leben den Burggraven zu Nürnberg, den ließ der Burggrav dermaſſen ledig, daß derſelbig zu evvigen Zeiten, vvenn ſich der Fall begäbe, ſein Leben empfangen ſollen von dem Burggraven von Nürnberg, dat noch heutiges Tages im Brauch iſt.* Quem magni nominis ſcriptorum ſectati MART. CRVSIVS in Acad. Tubing. olim Profeſſor celeberrimus *in Annalibus Sueuicis Part. III. L. IV. p. 215.* FVGGER *in Spiegel der Ehren des Hauſes Oeſterr. Lib. III. cap. III. p. 291.* Per-Illuſtris perſonatus GIOVANNI *in Germania principe Lib. II. c. I. §. 9.* *Caſper* ABEL *in Brandenb. Staats-Hiſtorie c. III. p. 67.* ipſe quoque Illuſtris Praeſes *in Synt. Hiſt. Germ. differt. XXVI. §. XI p. m. 841.*, vtpote Archiuorum Brandenburgicorum ſubſidiis tempore, quo talia ſcripſit, deſtitutus, aliique, ſed quod mirum etiam IOH. VVOLFFG. RENTSCHIVS, cui licet arcana Baruthinorum Archivorum ſcrinia patebant, *in Brandenb. Ceder-Hein p. 168. & pag. 313. ſeqq.*

§. III.

Haec ſententia Auentini ſ. adſeclarum ſilentio ſcriptorum coaeuorum refellitur.

Quamquam igitur Auentinus vir eſt non infimae auctoritatis, eiusque fides ſemper magi habita, nec atrox proelium, nec virtus Friderici Burggrauii Heroica, nec ſtratagema idque licitum (vid.

GROTIVS *de Iure B. & P. Lib. III. c. I. §. 8. n. 4.* circa finem, vbi inter licitos refert actus, ſi aliqui hoſtium armis, SIGNIS, veſtibus, velis vſi paſſim leguntur) ab ipſo citato loco enarrata, vllo modo inficias eunda ſunt, ſed potius omnes ac ſinguli, qui de praelio hoc decretiuo verba fecere, ſcriptores, Chronica atque Annales, vno ferme ore ſingularem Burggrauii magnitudinem profitentes, ſummis iſtam praedicant laudibus. Neutiquam tamen traditionem Auentini, vel potius eorum, qui iſtum ſunt ſecuti, quoad originem feudorum primam, eſſe admittendam, ſubſequentibus rationibus ſum inductus, vt credam. Rem e veſtigio reddit incertam altum ſcriptorum coaeuorum vel coaeuis proximorum, qui ante Auentini, ſcriptoris circa finem demum Sec. XV. viuentis, tempora floruerunt ſilentium, puta HENRICI Monachi in REBDORFF *in Annalib. ad annum M CCC XXII*, VLRICI & CONRADI VVELLINGORVM Fratrum Monachorum St. Vdalrici & Afrae Auguſtae Ordinis St. Benedicti, qui annales HENR. STERONIS vsque ad M CCC XXII. continuarunt, qui Annales tam Rebdorffii, quam Continuatorum an. 1717. curante Illuſtri Praeſide de nouo ſunt editi inter MARQVARDI FREHERI Scriptores Rerum Germanicarum *Tom. I. pag. 557*; ALBERTI ARGENTINENSIS *in Chron. 122.* aliorumue, qui cuncti praelii quidem, ſed huius circumſtantiae, quod proceres captiui Burggrauio fuiſſent addicti, ne verbo quidem meminerunt.

§. IV.

§. IV.

Continuatur refutatio aliis teſtimoniis & circumſtantiis.

Cui multae aliae rationes adſertum, quaſi ab huius praelii aeuo primam originem eſſe petendam euertentes, accedere poſſunt. Praecipue huc ſpectat LVDOVICI Bauari Imperatoris AVREA BVLLA *d. an.* MCCCXXVIII. *d. 28. Febr.* cuius vigore Friderico Burggrauio oppidum dictum *Regnitz, Hoff, quod*, vti diplomatis verba audiunt, *ſacro pertinebat Imperio cum iure Patronatus, Eccleſiae ibidem iudicio eidem oppido ſpectante & ceteris Iurisdictionibus, iuribus, honoribus, poſſeſſionibus queſitis, ſeu inquirendis, aut quibuscunque nominibus cenſeantur*, in feudum conceſſit, cauſamque huius translationis & ceſſionis in feudum ex paulo antecedentibus liquet, qui dum in eo totus fuit Imperator, vt Burggrauii in Imperium Romano Germanicum merita extolleret, ſpecificam hanc translationis cauſam dedit: *ſpecialiter tamen propter actus tuos bellicos, quibus lateri noſtri iugiter aſtitiſti, maxime quod in die dimicacionis & belli pro ſacri Imperii ac noſtris ſummis honoribus per nos habiti cum Frederico Duce Auſtriae miles ſtrenuus & auctor & victor illo die* MVLTA TVA COMITIVA *fuiſti, tibi debetur retributio meriti ſpecialis*. & ſic porro, quocum etiam conuenit diploma datum Monachii V. Cal. Octobr. 1323. cuius partem adduxit RENTSCHIVS *in Brandenb. Ceder-Hein p. 314.* Quod in vtroque documento procerum Auſtriacorum, qui, quodſi Burggrauio in fortitudinis egregiae praemium eſſent addicti, mentio verbis ad minimum pauciſſimis dubio

 pro-

procul fuiſſet facta. Deinceps Auentino aduerſantur verba literarum reconciliationis inter Ludouicum & Fridericum, Comitis de Henneberg & Dieterici Pillichdorferi Mareſchalli Auſtriae, quorum interuentu compoſitio eſt facta, quae in ſe continent, vt *omnes miniſtri ex vtraque parte gratiam habere, & omnes capti liberi eſſe debeant;* quas Ioan. Georg. HERWARTVS AB HOHENBVRG *in Ludouico IV. Imperat. defenſo pag. 332.* ex Archiuo Bauarico exhibet, vbi inſimul tabulas pacificationis a Scriptoribus Auſtriacis, in primis vero a CVSPINIANO *in Auſtria p. 638.* adductas, tanquam ſuppoſitias refutauit. Hervvarto adde Nic. BVRGVNDVM *in Hiſtor. Ludouic. L. II. p. 92.* Porro huc facit teſtimonium BEATRICIS filiae Burggrauii Noribergenſis Friderici V., quae Alberto III. Archi Duci Auſtriae *an. 1379.* fuit deſponſata. Haec ſub finem Sec. XIV. Feoda Burggrauii in Auſtria eum in modum conceſſit: *Wir Beatrix von Gottes Gnaden Hertzogin zu Oeſtereich &c. Zu Zeiten Vervveſerin unſern lüben Bruder Burggrav Friedrichs von Nürnberg Mannſchafft in Oeſterreich &c. bekennen öffentlich mit dem Brief, daß vvir dem &c. geurlaubet und verlichen haben &c.* NB. ALS ES ALTERS HEERKOMMEN IST: quae poſtrema verba: *alt Heerkommen*, longe vetuſtiora tempora; quam annum 1322. innuere videntur, dum iuxta BESOLDVM in *theſauro practico* ſub voce *Wie von Alters Herkommen, alt Herkommen* idem ſignificat, quam inueteratam conſuetudinem, quae tempus 1322 multum transgreditur. Huius generis teſtimonium etiam tulit Carolus IV. Auguſtus *im Läuterungs-Spruch*

feo-

feoda Burggrauiorum in Auſtria concernens, de dato *Pragae 1363.* qui conſilio principum, comitum & Imperii fidelium, plenitudine Caeſarea, ſententiam pronunciauit. *das der Edle Friedrich Burggraff zu Nürnberg, unſer und des Reichs lieber Getreu deſſen Erben und Nachkommen, ebiglich alle ſolche Lehen, als ſie in den Hertzogthümern, und Landen der Ehrgenannten Hertzogen von Oeſterreich* VON ALTER *gelieben und haben und noch leben &c.* Tandem reliquas ſi inſpiciamus circumſtantias, nonnullas ipſi narrationi, eiusque veritati repugnantes inueniemus: Nec enim ipſe Auentinus, ſi conferas verba editioni latinae cum Germanica, vtraque a nobis ſupra allata, in ſententia ſua ſibi ſemper eſt conſtans; dum verba editionis latinae, quoad conditionem liberationis longe videntur duriora verbis editionis Germanicae: neque tantum clientum numerum, quantus captiuorum procerum fertur, eruditi vnquam animaduerterunt, neque eſt praeſumendum, quod Burggrauius feuda a regione ſua tam remota, quorumque Dominus in arctiſſima cuſtodia detentus, vltionem diu noctuque exoptat, acquirere ſategerit. Quae rationes in complexu conſideratae Auentino, ac eius aſſeclarum fidem omnino reddunt dubiam atque ſuſpectam.

§. V.

Vlterior refutationis continuatio documentis & literis in-

Maximum vero his rationibus addunt pondus documenta ac literae inueſtiturae, anno pugnae MCCCXXII. antiquiora. Documenta, quae proelii annum proxime vel haud longe poſt ſequuntur, vtpo-

ueſtiturae anno 1322. vetuſtioribus procedit.

te d. an. 1330. 1331. 1349. &c. ex quibus veritas quoque elucеſcit, enumerare ſicco pede praetereo, eo quod literae inueſtiturarum antiquae & documenta, quae nobis in promtu ſunt, an. MCCCXXII. antecedentia, hiſce memoratu digniora reputo. Qua de cauſa tria vetuſtiora ac praecipua documenta, eaque rariſſima atque adhuc, quantum mihi conſtat, inedita, duobus cum aliis, infra appendicis loco adponam ſpem fouens firmam, fore, vt LECTORI erudito haud diſpliceat. Sic Fridericus Burggrauius Wülfing a Stubenberg cum *Veſte Höfflein und den Gütern, ſo dazu gehörig, als ſie vormahls der Edle Mann Heinrich von Stubenberg von Ihn und ſeinen Vordern zu Leben innen hat an. 1320.* inueſtiuit, nec non originale literarum inueſtiturae in Archiuo ſecretiori Baruthino cuſtoditur, cum annexis inſignibus comitum Zolleranorum ac Burggrauiorum de dato Norібergae MCCXCVIII. cuius tenor eſt: *Ich Iohannes und Ich Friedrich die Brüder Burggraven von Nürnberg berichten und thun kund &c. daß di Vrauwe Hedwich von Steltzenberth hat von uns gehabt zu Leben Steltzenwerth, und das Guet ze Seydingen, daz Guet ze Neuſiedel &c. aufgeſannt, dazſelbe Guet, daz hat wir iar und iar wirt Ulrichen von Perichau hinwieder verliehen zu rechten Leben.* copiam harum literarum inueſtiturae vna cum teſtibus vid. in *Continuatione Actorum in Sachen des Hochfürſtl. Brandenburg. Bayreuth- und Onoltzbachiſchen Gemeinſchafftl. Anwalds und Lehen-Probſtes Herren Franz Alex Hertel I. V. D. contra Herrn Philipp Ioſeph Grauen von Hoyos &c. Baruthi an. 1723. p. 41.*

p. 41. Dein Vlricus *von Chapelle* in ſpecialibus refutationis literis de anno MCCXC. iuxta documenti verba, refutauit *die Hantueſt, die mir mein Herr der Purchgraf Friedrich von Nürnberg gegeben hat, über dez Dorff, dez Stettlen-dorff* vid. infra append, document. lit. A. inprimis vero notatu dignum eſt documentum de anno MCCLXXXVI. vbi Rudolphus Romanorum Rex Friderico Burcgravio de Nüremberg, conſideratis ipſius fidei meritis luminoſis, caſtrum Seueld cum ſuis pertinentiis vniuerſis, longe iamiam prius in feudum contuliſſe, teſtatur, quam Illuſtribus filiis ſuis Alberto & Rudolpho Ducatum Auſtriae in feudum contulit. conf. append. docum. Lit. B. Quibus denique adiicio literas inueſtiturae de anno MCCLXXVII, quas infra in append. document. ſub lit. C. in forma videbis, quarum vigore Chunradus Epiſcopus Friſingenſis Friderico *vniuerſa feoda ſuper Ibesveld*, (Ipsfeld) ſita circa Amſtetten, quae quondam diſcretus vir Henricus de Seveld ab Eccleſia tenuit, tradidit.

§. VI.

Hiſce aliisque rationibus haud exiguis, Vir PerIlluſtris GEORG. PET. STELZERVS, Conſiliarius ſereniſſimi Patris patriae quondam Intimus, qui ſemeſtri anni ſpatio vix praelapſo DEO animam reddidit, cuiusque immaturum obitum ac merita omnes adhuc in patria deplorant boni ac eruditi, cuiusque memoriam, ſi quis alius, deuenerabor, hic inquam commotus, vulgarem traditionem reiiciendo, aliam originem in ejus locum ſubſtituendi omnem movit lapi- *Noua ſententia de horum feudorum origine ſubſtituitur.*

lapidem. Anſam, novam ac peculiarem ſententiam in ſcenam producendi, praebuit documentum quoddam de an. 1204. ineditum ex peruetuſto monaſterio Zvvettalenſi. quod poſtea Per-Illuſtris de LVDEVVIG *reliquis ſuis manuſcriptorum, diplomatum ac monumentorum* repetita vice Tom. IV. *pag. 108. & pag. 253.* inſertum curauit, ex quibus, quum vtramque hac in tuenda opinione faciat paginam, huc transſcribimus ſequenti modo: *Vt cognoſcat omne poſteritatis euum, ſignificamus vniuerſitati fidelium. quod domina* SOPHIA *nobilis Comitiſſa in* RAGZE *filia comitis* CHVNRADI, *vxor* BVRCRAVII IN NVRNBERG *longe poſt obitum mariti ſui comitis* FRIDERICI *vineam quandam in Leutacher pro triginta quatuor marcis argenti comparauit & duos manſos in villa que dicitur Redel, que ad opus miſericordie & ad faciendas eleemoſynas exceperat,* QVANDO FILIOS SVOS PATRIMONII SVI SVCCESSORES & HEREDES CONSTITVERAT, *Deo & beate Mariae ad vſus fratrum in Zvvetl. Deo ſeruientium libere & manu proteſtatiua contradidit, reſeruans tamen ſibi vſurarios fructus. Sed ne in hoc aliquid iuri noſtro deperiret, poſt factam ſolenniter donationem perquam data recepimus & ſine omni reclamatione poſſedemus, rurſus ea predicte domine ad dies vite ſue ſub annuali cenſu indulſimus, ſcilicet, vt de vinea vrnam vini, & de agris dimidium talentum perſolueret. Huius rei teſtes ſunt Liutfridus de Graſſvnue, Rapot de Linda, Vlricus de Speiſſendorf, Alber de Pircha, Chunradus de Cheuberndorf, Chunrad & Gerboto frater eius, filii Chunradi Marſcalci, Tyemo de Lindenuelde,*

de, Gotfridus & frater eius de Graſſovve, Heinricus Scheube. Hi omnes de Ragze cum plebano Domino Wernbero, Chunradus ſcbolaris. Chunradus cellerarius comitiſſe. Hadmarus iunior de Chuenring, & Heinricus frater eius. Karl de Tal. Albero de Fukla. Chunradus de Chuenring. Bertholdus Rebſtock. Actum an. Domini 1204. Hoc documentum diſertis verbis indicat, Friderico Burggrauio Noribergenſi Dominam Sophiam de Ragze (quod Ragze modo Rez, modo Racze, modo Rakz vocatur) Comitis Conradi gnatam coniugio fuiſſe iunctam, iſtamque filios patrimonii ſui ſucceſſores atque heredes conſtituiſſe. Qua de cauſa Beatus Dn. Stelzerus ab hoc tempore ortum horum feudorum Auſtriacorum petit, dum ea non ſolum, quae in documento continentur, euictum iuit, verum etiam eruditiſſima coniectura auguratus eſt, iam ante 1204. annum comites de Raez ſimul extitiſſe Praefectos vrbis Noribergenſis. Cuius mentem ob argumenta ponderoſa ſequentibus neruoſe tradamus. Nimirum arbitratus eſt, Godofredum, de quo PESSINA de CZECHOROD *in Marte Moráv. Lib. III. c. 3. p. 277.* teſtatur, oppidum Retzium circa an. 1099. poſſediſſe, eundem eſſe, cuius optimi ciuitatis Noribergenſis Chronographi meminerunt, dum anno 1105. Conradum & Godofredum Razazey ſiue Razgey caſtrum Noribergenſe, ipſorum fidei ab Henrico IV. Imperatore creditum, tempore obſidionis, quam Henricus V. filius rebellis in patrem eſt molitus, nactos fuiſſe nec non iſtos omnes Noribergenſes reditus ad Cameram Imperialem ſpectantes, popoſciſſe ſcribunt,

item ad annum 1138. adnotant, Conradum & Godofredum a Razazey ſiue Rezack adminiſtratores Praefecturae Imperialis & Quaeſtores Noribergenſes, (*vvelche die Reichs - Vogtey vervvaltet, und die Renten eingenommen,*) a Conrado III. Imperatore fuiſſe citatos. Quam ſuam coniecturam vetuſtum documentum ex monaſterio Schottenenſi St. Aegidii erutis firmat, quo in documento, dum fundationes a Cunradi II. aeuo vsque ad annum 1273. memorantur, inter alios Albertus de Rez, Godefridi Burggrauii & vxoris Hollegardis & illius filius, vt & Conradus, vtpote Patronus (*Wohlthater*) ſalutantur. Prouocauit porro ad diploma Conradi II. in VGHELLI *Italia ſacra Tom. III. pag. 392.* edit. Venet. (vbi Godofridus Caſtellanus de Rumberch legitur) item ad priuilegium Carnunto datum apud LAZIVM *de Republ. Romana Lib. XII. p. 964.* in quibus locis omnibus, Godofridus Caſtellanus de Nurenberch occurrit, necnon ad Imperatoris Friderici I. priuilegium Coenobio Aurachienſi an. 1158. conceſſum, vbi Godofridus Burggrauius Noribergenſis & Conrad Ragthes coniunctim in teſtimonium ſunt vocati Ex quibus omnibus Beatus Dn. Stelzerus colligit, quod Fridericus Comes Zolleranus, mediante Sophia coniuge, non ſolum comitatum Raezenſem adſecutus, in filios tranſtulerit, ſed & vacantem Burggrauiatum Noribergenſem, extincta familia Rezenſi, noua Caeſarea infeudatione obtinuerit. Primum adſertum cum ex Zvvettalenſis documenti verbis eisque clariſſimis, tum ex Bar. ENENCKEL, quem circa hoc tempus vitam vixiſſe perhibet, *Fürſtenbuch* commonſtrauit,

ſtrauit, qui, Praefectiſſae (*Burggräuin*) filium comitatum Rezenſem Leopoldo Duci Auſtriae vendidiſſe, adnotauit, quod etiam confirmat LAZIVS *de migrat. Gentium p. 286.*, vbi verba peruetuſti alicuius codicis allegat: *Hertzog Leupold khaufft wider den Burggrauen von Nurnberg, und ſeine Mutter die Graffſchafft zu Ragez und dem March und das dazu gehöret um zwey tauſent March ſilbers:* vt & IOAN. PISTORIVS in *Scriptoribus Germanicis p. 689.* vbi de Eitel-Friderico V. Comite Hohenzollerano aſſerit, ipſum permutaſſe Ratzins baronatum cum comitatu Heggerloch ab Auſtriis. Nouam autem infeudationem cum Burggrauiatu exinde colligendam autumauit, quod Godofredo ac Conrado mortuis, Comites Zollerani, praeſertim vero Fridericus & Conradus, tanquam Burggrauii Noribergenſes ex veteribus monumentis & documentis cogniti eſſent, quippe & documentum Zvvettalenſe Fridericum adpellaret Burggrauium, & in Caeſaris Friderici I. *Gräntzſcheidung* Bohemiam inter & Auſtriam, Fridericum vna cum fratre vt teſtem adductum perhibet. Quam quidem originem vlterius proſequendi dedit in promiſſis, ſed morte praeuentus, id non efficere potuit. Multae ſunt profecto rationes, quae pro hac recenti opinione militant. Vnicum tamen menti meae inhaeret dubium, an extiterit Fridericus Burggrauius, qui longe ante annum 1204. vixerit, dum nemo Scriptorum Genealogicorum, quotquot euolui, huius Friderici mentionem facit. Floruit equidem circa hoc tempus Burggrauius Noribergenſis, qui vero communi ſuffragio, anno

 MCCXVIII.

MCCXVIII. demum diem obiit ſupremum. Si vero obiicias, quod vnus filiorum apanagiatorum eſſe potuerit, quorum in Genealogicis Tabulis non tanta olim habita fuit ratio; reſpondeo, filios, quamdiu dignitas Burggrauiatus nondum erat hereditaria, parentum titulo nunquam, vti hodie fieri ſolet, vſos. Eo vero dubio ſublato, non video, quid obſtet cur non huic ſententiae, pro qua tot militant praeſumtiones, adſtipulari fas ſit.

§. VII.

Tertia ſententia de origine feudorum tangitur.

Pauciſſimis denique tertiam adiicio opinionem, quando ab anno 1150. ortum horum feudorum trahunt, quo videlicet anno Erneſti Marchionis Auſtriae filiam cuidam Comiti de Vohburg deſponſatam talibus bonis feudalibus dotatam, ac iſta Genti Vohburgenſi conſequenter adiudicata perhibent, a quibus Comitibus, vtpote antiquis Burggrauiis Noribergenſibus, ad hodiernam Burggrauiatus domum, intercedente coniugio, peruenerit. Quam opinionem aliis, qui magis hac in re ſunt inſtructi, diiudicandam relinquo, iudiciumque meum ſuſpendo. An vero ab vno tempore origo tot, tantarumque Dynaſtiarum ac Comitatuum, aliorumque feudorum ſit petenda, dubito, potius veritati magis conuenire credo, ſi dicamus, primae acquiſitioni meritis Burggrauiorum in Imperium & Auſtriam interuenientibus tam magnas acceſſiones pedetentim eſſe factas. Enimuero oculis ſaltim fugitiuis perlegendo ſcriptores rerum Auſtriacarum, ab Hieronymo PEZ celeberrimo Monacho Ord. St. Benedicti obſtupui merita

Burg-

Burggrauiorum in Imperium & Auſtriam laudabilia. Id quod etiam literae inueſtiturae infra a nobis allatae roborant, vbi a Rudolpho Imperatore ob luminoſa fidei merita, Burggrauio caſtrum Seueld fuit collatum, vt alias rationes breuitatis ſtudio taceamus.

§. VIII.

Differentia feudorum Brandenburgicorum in Auſtria ab hodiernis indicatur.

Tantum de origine. Reſtat, vt non ſolum circa feudorum & clientum ipſorum numerum, ſed & circa eorum naturam nonnulla moneamus. Feudorum Brandenburgicorum in Auſtria antiquorum & vaſallorum numerum, quorum magna pars hodie adhuc Sereniſſimos Marggrauios Brandenburgico Culmbacenſem, & Onoldinum tanquam veros Burggrauiorum veterum, cum ratione ſanguinis, tum poſſeſſionis Succeſſores agnoſcit, multum differre ab hodierno, neſcio quo fato, diminuto numero, quilibet horum feudorum gnarus confitebitur. Quodſi enim huius rei peritos conſulamus, horum beneficiorum numerum in Principatus magnitudinem accreuiſſe aſſerunt. Sic exempli loco B. Agricola, qui, vti ex multis indiciis ſum perſuaſus, hac in materia erat verſatiſſimus, teſtatur, feudorum complexum triginta & duas Dynaſtias ac Comitatus, nec non 200. feuda alia ſub ſe olim comprehendiſſe, quid? principatus magnitudinem excediſſe, id quod eſſe cauſam putat, cur tantum ad publicos vſus conferendos onus in matricula Imperii vtrique Principatui & Burggrauiatui Noribergenſi ſit impoſitum. Quarum XXXII. Dynaſtiarum RENTSCHIVS quoque *in Brandenburg. Cederbein* eſt memor, aliorum teſtimonia iſtud corrobo-

C.

rantia ſilentio inuoluturus. Interim licet multa a complexu horum feudorum cernantur auulſa, ſuperſunt tamen varia, quae in publicum ire haud erubeſcunt. Quapropter per erit neceſſarium, vt noſtris promiſſis ſupra datis ſtemus, & iuſtam horum feudorum Imperii & clientum a Burggrauiatu olim & hodie dependentium, exhibeamus ſeriem, quam in quodam alio ſcripto fruſtra quaeres, nam quae a LAZIO *de Republ. Roman. p. 690.* & SVTTINGER *in Iure conſuetudinario Auſtriaco* de his feudis adlata; magis tacta ſunt, quam expoſita. Hac vero in re me multum debere Venerabili Seni, Viro Per-Illuſtri CHRISTIANO LEOPOLDO Sereniſſimi Marggrauii Baruthini a conſiliis Secretioribus, Patrono obſeruantisſime ſummeque deuenerando, vt ingenuus ſum, fateor, qui dum deſignationem horum feudorum & vaſallorum mihi beneuole transmittere, haud eſt dedignatus, non ſolum operam valde ſubleuauit, verum etiam in multis me confirmauit. Quod tamen communicatum benigniſſimum ex documentis actisue hinc inde vt augerem, ſummam nauaui operam. Idcirco animus eſt, in ſubſequentibus quatuor paragraphis feuda haecce ante oculos ponere, vnicuique feudorum clientes tam antiquos, quam modernos, tam extinctos, quam hodie adhuc florentes ſubiungere, ac praecipuas, quae ſcitu ſunt neceſſariae, circumſtantias, digito indice, attingere.

§. IX.

Catalogi feudorum ac clientum ini- A

Inchoamus igitur Catalogum ordine alphabetico congeſtum ſequenti modo. ARDACKER *quin-*

que

que ſubditi ibidem Vaſalli : *Lib. Barones de Greiſenberg*, id quod ex deſignatione vaſallorum Marggrauiis Brandenburgicis transmiſſa de an. 1663. patet. *tium a Lit. A. vsq; ad B.*

BVRGSTALL & *pertinentiae*, videlicet *Burgleuten, Füterberg, Bruch, Hamberg, Hag, Dachgrub, Hardt, Leutmansdorff, Mozen ſiue Meyendorff, Grambs ſiue Prempersdorff, Tünnefurth, Wincklarn*, quae omnia nomine *der Lapitziſchen Lehen* veniunt, eo quod a familia de Lapiz haec feuda, vti praeſumo, vt plurimum ſunt poſſeſſa: vaſalli antiqui & moderni: *Reinbrecht & Fridericus de Walſee, Andreas Krabat von Lapiz, Wolff Krabat de Lapiz &c.* an. 1567. haec feuda poſt Ioannis Andreae de Lapiz obitum, eius heredibus vendita, & per inueſtituram collata, vtpote 1) *Ioanni de Ieſchernem*, 2) *Andreae Kornfeilern*, 3) *familiae de Brückheim &* 4) *Alberto Enickeln*. Horum feudorum maxima pars eſt indubitata. B.

CRONSECK ſiue KRONSEGG *caſtra cum ſuis pertinentiis*, eſt certum feudum Brandenburgicum: Vaſalli: *Schaden, Leutersheim, de Fürſt, Seusſenegg, Fuchsberger, Wiſant*, (An. 1531 hoc Feudum vi reuerſus dicti anni Ambroſius Wiſend emit ab Ioanne Fuchsberger) *Weisberger*, (Ioannis enim Weisberger commendatione Ferdinandi Regis ab Alberto Marggrauio accepit)) *Mulwangers* (quibus reſpectu matris Suſannae natae de Wiland Cronseck vna cum Schülern conceſſum, quem vltimum locum in vetuſtioribus documentis omiſſum, in recentioribus vero ab hoc tempore ſemper adiunctum reperi) *Leyſer*. poſt Ferdinandi Rudolphi L. B. de Leyſer mortem deficiente prole maſcula haec feu- C.

da

da Schultern & Cronſeck ad dominos dirigentes ſunt reverſa, a quibus vi literarum Inueſtit. de an. 1662. B. de *Geymanner* de nouo ſunt inueſtiti, de quibus an. 1678. cum ſpeciali conſenſu Liberis Baronibus de *Hackeberg* vendita & per inueſtituram Carolo de

D Hackeberg an. 1678. conceſſa. DÜRRENLEISS, hoc eſt feudum indubitatum Brandenburgicum: vaſalli antiqui & moderni: *Domini de Enzesdorff* vt Lit. inueſt. de an. 1497. *Marcelli, Prioriſſa & vniuerſus Conuentus coenobii Imbachenſis.* EBENFELDEN, *pagus*

E *cum omnibus ſuis pertinentiis, vt & iurisdictione & 30. Pf. Wiener. Gelds*: vaſalli: *Haunfelder, de Hanſpach, de Wechtingen, de Waching*: hoc feudum & ſequens ESTELBERG an hodie adhuc nexu feudali Domui Brandenburgicae ſit adſtrictum, vt & a quibus hodie poſſideatur, me fugit.

§. X.

Secunda catalogi pars a Litera G. vsque ad L.

G GOELLERSDORF *Schloß und Marckt mit allen Burg-Rechten, decimis vini, alta & baſſa iurisdictione*: relatum legi huius dynaſtiae pretium aeſtimari 70. circiter ſiue 80000. florenis. vaſalli: *Domini de Meiſſavv*, (quibus dum lis an. 1358. inter Reimbrecht de Walſee & Heydenreich de Meiſſavv de Gelesdorff, quod noſtram Dynaſtiam Goellersdorff praeſumo, exorta eſt, ipſo Burggrauio Alberto tanquam iudice praeſente, adiudicatum eſt) *de Buchheim* vi reuerſ. d. an. 1495. hodie ab anno 1723. Imperii Vice-Cancellarius Illuſtriſſimus *Comes de Schoenborn.* GRABERN ſiue MITTELGRABERN, *arx vna cum pertinentiis* vaſalli: *de Stubenberg.* Noſtra aetate *Roggendorff* dicitur

